

Nicolaus Burchardi Konradus Ortelius

Disputatio Ethica De Amicitia

Rostochii: Pedanus, 1618

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729229238>

Druck Freier  Zugang



N. Burckhard.
R. U. phil. 1618.



27.
DISPUTATIO ETHICA
DE
AMICITIA.

Quam

D. O. M. A.

*Consensu & autoritate Amplissima Facultatis Philosophicae
in celeberrima Rostarum Academia.*

SUB PRÆSIDIO

M. NICOLAI BURCHARDI
S. S. Theologiæ Studiosi.

Proponit.

CUNRADUS ORTELIUS WINSHEMIUS.

ad Diem II. Novembris hora 5. loco
constituto.



R O S T O C H I I
Typis exscriptit Joachimus Pedanus,
ANNO M. DC, XVIII.



Disputatio Ethica
DE
AMICITIA.



Alexander Magnus, cum à quodam interrogaretur, ubi thesauros haberet, amicos ostendens, in his respondit: Maxim: in ferm: de amicitia: Quibus verbis ipse innuere voluit tantam esse amicitiae necessitatem, ut eam homo in vita vix commode carere possit. Idem volebat Empoedocles Agri gentinus, quando docebat, naturam ita comparatum esse, ut, quae in toto mundo constant, contrahant amicitiam, discordia vero haec dissipet. Idem quoque comprobavit Menenius Agrippa eleganti apologo de membrorum adversus ventriculum conspirantium dissolutione. Sicut enim ubi unum membrum alterius ministerio se subtrahit toti que corpori imminet interitus; ita nulla civitas tam firma est, quae non odijs atque dissidijs funditus everti possit. Quae cum ita sint, ut revera sunt, recte nos facturos existimamus, si de hoc fructuosissimo & jucundissimo virtutum thesauro placidam hanc disputationem instituamus.

THESIS I.



Quod dicitur ergo ab ipsa definitione quae omnium anchorarum est firmissima Scal. exerc. 510. s. 1. ex qua non nisi innotescit: Aristoteles 1. Topic. c. 4. ἡ ἀρετή ἵππη ἐστὶν ἡ ἀρετή ἵππη Aristot. 2. post. c. 3. quia constat ex
A 2 ijdem

ipsam ex quibus essentia rei constituitur Zabarell. ad lib. 1.
post. cent. 30. imo definitum & definitio sint idem numero
Zaba. 1. nat. Log. c. 3. Unde definitione omnis scientia com-
paratur. Aristotel. post. c. 17. divisione, definitione, &
argumentatione omnis cognitio comparatur: Fons. lib. 5. Dial.
c. 4. Si quid ad scientiam scholas apparat, ipsa definitio &
distributio apparabunt. Cas. lib. 5. q. 1. distributio tamen
ex accidenti. Zaba. 4. de metho. c. 13.

II.

Libet itaq; quia licet definitionem amicitiae depromere
ex Aristotele 8. Eth. c. 2. qui eam sic definit. Φιλία ἐστὶν ἄνεια
ἐν ἀνθρώποις ἢ μὴ λαοφάνεια h. c. Amicitia est mutua & ma-
nifesta inter aliquos benevolentia.

III.

Hic primo observandum est, Amicitiae objectum, quod
est τὸ Φιλητὸν; hoc in specie est vel honestum vel utile, vel ju-
cundum; hinc amicitia alia est honesta, utilis vel jucunda.
illa est vera amicitia ut per se, hae posteriores ex accidenti. De
honesta dicit Cicero 1. de sine. Me ipsum ames, non mea, se
veri amici sumus. De utili sepe valet illud ζῆ χύττα ζῆ Φιλία.
Dum fervet olla, vivit amicitia.

IV.

Honestam amicitiam veram & perfectam non nisi intra bonos
est. Cicer. in Lal. & Aristot. 8. Eth. c. 3. & 4. Inter bonos
oritur teritur & consumitur. Casm. quia dignus tantum
amari quisquis bonus est. Ath. ap. Laert. lib. 6. c. 1. quia
non nisi ex virtute nascitur Aristot. 9. Eth. c. 1. & tempore
quoq; perfecta esse debet, 8. Eth. 3. ἕδεν ἀνευχεὶν Φιλίᾳ
Aristot. 7. Eth. Ut Zeuzes lente pingebat quod duraret:
ita diu explorandus amicus, qui sit perpetuus futurus Plin.

V.

Hae ut rara est, ita maxime, omnium est stabilis 8. Eth.
c. 8.

c. 3. & 8. quia virtus est stabile & firmum quid Aristotel. 1. Eth. c. 5. & 2. Eth. Et vir bonus sive virtute praeeditus est quadrato lapidi similis 1. Eth. c. 10. Tum quia ob virtutem amici sibi mutuo sunt prompti, id enim virtutis & amicitiae proprium 8. Eth. c. 13. mutuo sibi bona similiter volunt. Aristot. 8. Eth. 13. Omnis autem amicitia vis in voluntatis Studiorum & sententiarum consensu posita est, Cic. 1. de Legib. Igitur talis amicitia probitate servatur. Piccol. grad. 7 Philosoph. moral. c. 4.

VI.

Quas autem utilitas conglutinat easdem commutata resolvit Cic. in Lal. οἱ δὲ τὸ χεῖσιμον ὄντες ἄμει τῷ συμφέροντι ἀλλόουτος Aristoteles 8. Eth. c. 4. Sunt amici βρώσιμας ποσισι. qui fortunae alicujus inducti amicitiam ejus secuti sunt & simulatq; fortuna elapsa est devolant omnes, Cic. 4. ad Heren. instar muscarum culinae nidore sublato. Schal. lib. 2. ex. 12. q. 5.

Hunc quem viva tibi, quem mensa paravit amicum

Anne putas fidæ pignus amicitiae.

Martial. 2. Epigr.

VII.

Amicitia jucunda quia praecipue est inter juvenes tum propter ipsorum tum propter jucunditatis mutabilitatem facile rumpitur Aristot. 8. Eth. c. 3.

VIII.

Secundo amicitia dicitur εὐνοια, hic quaeritur? quid sit εὐνοια.

IX.

Εὐνοια vel benevolentia est amor propter virtutem occultus & ociosus. Hic observandum est, quod benevolentia alia sit Theoretica alia practica.

X.

Theoretica consistit in optando bono. Practica in operatione,

A 3

tionem, quatenus bonum perficit illudq; benefaciendo alijs communicat.

X I.

Differt autem benevolentia ab amicitia tribus potissimum modis. 1. Εὐνοία dicitur otiosa, quatenus nec per officia nec per beneficia sese erga alterum declarat, quod praestat amicitia. 8. Eth. c. 2: 2. Est etiam πρὸς ἀγνώστους erga ignotos; amicitia ad solos probos & notos 9. Eth. c. 5: 3. Φιλίῃς μετὰ ἀγαθῶν ἢ ἔξ ἁπορίας καὶ ἐκ περισπείας.

X II.

Tertio Amicitia vel ἔξ ἁπορίας dicitur esse inter paucos. Quo ipso Arist. vult. 9. Eth. c. 10. Virum bonum nec ἀφίλον esse nec πολλοφίλον. Ratio tum quia pauci viri boni ὡν μόνων φιλία ἀδιαβλήτως ἐστίν 8. Eth. c. 5. tum quod amicus est ἀλλοῦ αὐτῷ 9. Nicom. c. 4. h. e. alteri sese quasi communicat, & totum in alterum effundit, quod pluribus fieri nequit; Ut enim:

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Sic benevolentia in unum defixa unita est adeoq; fortior: at per plures dispersa non potest non cuiusvis obtingere, multis modis debilior est, atq; infirmior.

X I I I.

Quarto dicitur mutua benevolentia, quatenus inter amicos mutua animorum sit consensus. Ad mutuuum vero consensus requiruntur duo Aequalitas & Reciprocatio Hinc definit Aristoteles Φιλίαν quod sit ἔξ ἁπορίας ἐν ἀντιπροσώποις qua alias ἀντιφιλίῃς nuncupatur h. e. reflexio amoris & voluntatis ad idem principium è quo ortum suum traxerat. Non igitur amicitia, si non redamatus amatur, quippe natura utriusq; relationem importat, uti relatorum deficiente uno, tota relatio corrumpitur. Et sane manifestum est, quod duplex incurrat in amicitia vitium. 1. Injustitia. Nam amantem non redamare est s.

est signum vel species injustitiæ. 2. Odium, non enim infrequens amantem odio haberi. πέρσεται ergo amor quo bruta prosequimur, quodivites res inanimas aurum, gemmas, & res pretiosas, similes matres suos infantes amplectuntur, nec amicitia est nec benevolentia, Φίληται ergo sit nec Φιλία.

XIV.

Ultimo dicitur μή λανθάνσαι non latens quoniam amicus alteri sua officia semper, quando necessitas efflagitat, exhibet. Hinc tritum illud: Amicorum omnia sunt communia. Est enim comes amicitia perpetuus ὄψις, qua bonis suis omnibus, quibus potest modis prodest amico, ejusq; commoda sedulo juvat.

Quæstiones.

I. Quæstio.

An amicitia homini est necessaria.

Veritas hominis solius meta est, inquit Sbbal. 2. de LI: adeo quidem ut & propria opiniones ad illius præsidium delenda exerc: c. f. 9. Et cum exquisita rerum veritas subtilius exquiritur, per exiguam probationis vim habet testimonium, ideoq; secundum veritatis tabulam paucis, quid agendum, expediendum. Saniores enim ij sunt qui veritatem ducem sequuntur, inquit Plato in Critone. Nos pro affirmatione quæstionis sic argumentamur. I. Quia homo dicitur ὡς πολιτικόν Aristotel. 1. polit. c. 3. & lib. 1. Eth. c. 7. dicitur natus ad civilem conjunctionem & communionem. Hinc & Subtilitatum Magister Schaliger hominem ductum vult ab ὁμῶς. II. Quia maximum est bonum civitatibus. Arist. 2. polit. c. 2. III. Quia divites neq; pauperes, neq; Juvenes neq; se-

nes amicitia carere possunt. Divitibus ergo est amicitia necessaria πρὸς τὴν Φουδακίην καὶ Χρήσιν ut opes suas recte possint possidere ipsaq; frui. II. Pauperibus πρὸς τὴν καὶ Φυγὴν ad subsidium & solatium adversus egestatem & miseriam. Amicitia enim (ut inquit Cicero) secundas res splendidiore facit & adversas partiens communicansq; leviores. III. Juvenibus πρὸς τὰς καλὰς πράξεις ad promotionem rerum praeclare gerendarum. IIII. Senibus πρὸς τὴν διεραπείαν καὶ βοήθειαν ad sublevandam imbecillitatem eorum. Velsten. in dist. Eth. 14. quest. 1. Arist. 8. Eth. c. 1. Et ob hanc ipsam hanc necessitatem Cicero quod qui amicitiam de mundo tollit solem auferre videtur verissime dixit.

II. Questio.

An amicitia consistat in absentia.

Maxima vis amicitiae in usu ponitur hic vero usus est, ut serenissimam amici frontem (in qua mens pingitur) saepe contempleris. Cas. in Eth. p. 623. Hinc Aristoteles ex aspectu amicorum plurimum recreari dicit. Oculi enim amicorum sunt quasi fenestrae, per quas apertas omnes animi latebras & recessus non secus ac si essemus illic intuemur. Absurdum ergo illud non est quo tanquam epiphonemate concludit 9. lib. Eth. Aristoteles nimirum, quod in vera amicitia maxime sit expetendum una cum amicis vivere. Nam ut periti gubernatoris praesentia navem in portum ducit absentia periculum naufragij facit: ita aspectus & consolatio amici summam animi quietem distractio vero metum & oblivionem parit. Cas. p. 624. Jam vero ut quid de questione sentiendum dicam breviter distinguendo inter absentiam plane mutam, quae ne quidem per literarum vel aliorum amicorum internuntium interpolitur & vocalem dictis medijs ad sui ipsius restauratio.

rationem aut conservationem intentam quarum priorem salutem quaestio nostra repudiat.

III. Quaestio.

An amicitia quæ contrahitur cum latronibus pro vera sit habenda ?

Eleganter inquit Cicero lib. 5. de finibus: Tantus est innatus in omnibus cognitionis amor & scientia, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento incitata rapiatur. Id quod Aristoteles lib. 5. Metaph. c. 1. hoc modo expresse dicit: πάντες ἂν ἀγαπῶμεν τὰ ἐγγύστατα εἰς δὲ αὐτὰ Φύσιν. Quapropter ut hujus quaestioni scientiam venemur, oportet ut per causas cognoscamus: Scire enim rem est per causas cognoscere. Aristot. 2. post. c. 2.

Fundamenta verò, quæ pro negatione hujus quaestioni militent, sunt hæc.

1. Illa amicitia non potest dici vera quæ non oritur ex virtute. Aristot. 9. Eth. c. 1.

2. Atqui Latronum amicitia non oritur ex virtute: quia actio ipsorum non est bona.

E. Latronum amicitia non potest dici vera.

3. Nullum malorum consortium est vera amicitia: Arist. 9. Eth.

Latronum consortium est malorum consortium,

E. ipsorum consortium non est vera amicitia.

Vitanda ergo est pravorum consuetudo: nam labem & contagium habet. Aspidem sub linguâ, venenum sub hamo dissimulator offert: Si tetigeris, dormiendum; si gustaveris, pereundum erit. Est enim in tali amicitia frons sine corde, fraus sine fide. Cas. in Eth. p. 625.

IIII. Quaestio

An Amicitia sit ineunda cum infidelibus ?

B

Tanta

Tanta est humani ingenij inscitia & caligo, tanta hominum vanitas, licentia & perversitas, ut nihil fingi possit tam absurdum, inopinabile à ratione abhorrens, quin aliquandò aliquem assertorem & defensorem habuerit Per. l. 15. c. 12. Coll. Connimbr. de Cælo c. 3. q. 6. att. 3. Ejus rei veritas in hoc perspicuè cognosci potest, quod multi dicunt, amicitiam cum infidelibus esse ineundam. Nos verò à parte negativâ stamus, eamq; probamus sic.

Quicumq; non habent propriam amicitiam, cum illis amicitia non est ineunda.

Atqui infideles non habent propriam amicitiam.

Ergo cum illis amicitia non est ineunda.

Minorem proba. sic: Proprium amicorum officium est idem velle idemq; nolle, & esse unam animam in duobus corporibus.

Quoscunq; ergo idem velle idemq; nolle simpliciter impossibile est, inter eos firma amicitia esse non potest.

Atqui fidelem cum infideli idem velle idemq; nolle simpliciter impossibile est.

Is enim veram, hic contra falsam religionem vult propagatam. E.

Mira proinde illa amicitia est, inquit Hiero: in Epist. ad Paul. & Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, sed & Dei timor, & divinarum Scripturarum conciliant studia.

Sed obijciat aliquis: Ubi est unum corpus mysticum, ibi potest esse vera amicitia.

Atqui fideles & infideles sunt unum corpus mysticum. E.

Minorem prob: ex Epist. 1. Cor. 10. in qua Paulus non tantum fideles sed & infideles simul unum corpus appellat, quia tam fideles quam infideles, participant de pane benedicto. Ad hoc responde-

Respondemus distinguendo inter corpus mysticum unionem tantum externam respiciens: Et inter corpus mysticum unionem internam respiciens. Hac distinctione observata facilius est respondere ad argumentum. Dicimus ergo sic argumentando.

Ubi est corpus mysticum non unionem externam respiciens, sed internam, ibi potest vera esse amicitia: quia ibi est vera fides.

Atqui infideles licet sint corpus mysticum nihilominus tamen unionem tantum externam respiciunt & non internam. E.

Nec obstant nobis, quod Christus dicit Matth. 5. Diligite inimicos. Resp. primo Christum hac verba opponere Parisaorū traditionibus, dicentium: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Pharisaicum ergo est & inimicū. Quin & in lege expresse praecepta est dilectio inimici Ex. 23. Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti reduc ad eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non praecribis sed sublevabis eum. De odio habemus exemplum Davidis Ps. 139. v. 21. 22. Nonne, qui oderunt te oderam, & super inimicos tuos tabescam? profecto odio oderam illos? Sunt enim inimici Dei etiam nostri. Et in lege praecipit Dominus Israelitis ne faciant pacem cum Ammonitis & Moabitis, nec querant eorum bona cunctis diebus vitae suae in sempiternum. Deut. 23.

2. Distinguendum est inter inimici malitiam & naturā illam odisse debent omnes boni, & optare ut puniatur; hanc diligere ut corrigatur. Sed sit ita interim tñ. non sequitur amicitiam cum infidelibus esse in eundam, licet ipsorum natura sit bona. Gen. 1. v. 2. Sed potius quia ipsorum actio est mala merito ipsos fugere debemus. Matth. 7. Observandum tamen est, nos hic non contemnere illos, qui cum infidelibus negotia sua exercent. Nam aliud est negotium exercere cum infidelibus, ad eosdem divertere, aut etiam hospitio excipere, aliud est cum illis amicitiam colore, conversari familiariter, seq. totum

tradere, & cor in illos effundere, à quibus quis gravissimis in rebus
dissidet: id vero absq; conscientia violatione fieri nequit: atq; ideo
concordiam (amicitiam) talem impossibilem dicimus & illi-
citam. Impossibilem; quia maximum thesaurum non com-
municas, & partem cordis precipuam tibi reservas, imo ab
alienas, & horrore maximo refugis. Hinc fit ut amicitia vel
concordia talis facili momento rursus dissiliat, quo nil magis
eidem inimicum. Illicitam; 1. ob incommodum dissimulatio-
nis, quam capitalem novimus ex Matth. 10. v. 33. 2. ob pe-
riculum seductionis, quod toties inculcat, Dominus Ex. 33. v. 32.
Deut. 7. v. 3. Exemplum suppeditante sapientissimo Rege So-
lomone 1. Reg. 11. v. 7.

Caveant igitur Christiani pij & fideles, ne amicitiam
cum infidelibus ineant, vel ullam epocypias cum ipsis trahant,
2. Corint. 6. v. 14.

Fugum autem cum infidelibus trahitur tripliciter

1. Respectu simulationis, si quis veram religionem simu-
let ore, & falsam interim colat in corde; vel si veram religio-
nem quis colat in corde, & falsam simulet ore.

2. Respectu confusionis, si confusio religionum introducatur,
ut Aegyptij fecerunt teste Diod. Sic. lib. 7. Qualis etiam
Samaritanorum erat religio, qui simul colebant, Jehovam
Deum Israelis, & Idola gentium, ut patet. 4. Reg. 17. Et hi
sunt similes calamis qui à vento agitantur. Matt. 11. Christiani
vero hominis est veritatem doctrine caelestis fundamentum
verbi divini diligenter addiscere, & cognoscere, cognitamq;
firmo assensu amplecti, & constanter confiteri. Quia corde
creditur ad justitiam, sed ore fit confessio ad salutem. Rom. 10.

3. Respectu publica collusionis in rebus adiaphoris sive in
ritibus & ceremonijs in gratiam hostium veritatis facta, ut
si minister Ecclesiae utatur fractione panis Calvinisticâ vel
reiciat imagines ex templis, vel in cantilenis alijsq; ceremo-
nijs

nij; quicquã immutet. Etenim adiaphora respectu Objectorũ du-
pliciter considerantur: Vel enim Ecclesia doctoribus res est cũ
fidei consortibus, vel cum vera religionis hostibus. Quando
agitur cum hominibus eandem fidem profitentibus, sed in liber-
tatis Christiana praxi nondum planè vel institutis vel exerci-
tatis, in horum gratiã in rebus adiaphoris aliquid mutare licet,
si id Christiana charitas, ecclesia utilitas, & reinessitas postu-
lat Quo pacto Paulus 1. Cor. 9. v. 19. 20. 21. 22. de se dicit: Omni-
bus se factum esse omnium, hoc est omnium infirmitatibus ne-
glecto jure suo sese accommodasse, Judæis quasi Judeum,
intimis quasi Judaicas Ceremonias observando: De-
niq; infirmum, hoc enim demittendo se ad infirmita-
tem hominum ex Judæis & gentibus converforum, necdum in
fide satis confirmatorum, dum videlicet mansuetè & absq; ri-
gore cum illis egit. Verum quando cum hostibus veritatis
Ecclesia Doctoribus res est, tum in ritibus & ceremonijs per se
indifferentibus nil quicquam illis est cedendum. Quia tum
res per se libera nõ amplius talis est, sed in hoc casu fit pars con-
fessionis, qua invariabiliter est retinenda, neq; in minima
parte inflectenda in gratiam adversariorũ & ad offensionem
infirmorum. Ita Paulus propter falsos fratres, qui urgebant
circumcisionem tanquam ad salutem necessariam, & ingressi
erant ad explorandam libertatem ejus, quam habuit in Chri-
sto Jesu, ut ipsum in servitutem redigerent, Titum non cir-
cumcidit, licet ea ceremonia tum temporis esset indifferens
Gal. 2. & hoc suo exemplo docet Galatas: Stent in libertate,
in quã vocati sunt, & non patiantur se jugo servitutis subijci.
Gal. 5. v. 1. Quo exemplo & nobis hodie in abrogatione Cere-
moniarum nihil quicquam adversarijs est concedendum, sed in
tali casu ceremonias Ecclesiasticas habemus ut res necessarias,
quæ sine vulnere conscientie & scandalo Ecclesie mutari non
possunt, præsertim cum sciamus, quod juxta Augustini sen-

rentiam, ipsa mutatio consuetudinis, etiam qua adjuvat utilitatem novitate preturbet.

V. *Quaestio.*

Cum Amicitia, teste Aristotele lib. 9. Eth. consistat in mutuo consensu, non ineptè hic quaeritur.

An Amicitia aliquando admittat dissensum & reprehensionem?

Respondeo breviter, amicitiam admittere quidem dissensum & reprehensionem sed ita ut non pariat odium aliquod aut suspiciones sinistras vel similitates. Observandum tamen est, quod in reprehensione respectum habere oporteat non solum ad qualitatem personarum, sed & ad loca & ad tempora, tum quomodo reprehensione utendum sit, & qualiter reprehendus correctionem eam sit admissurus. Hic fertur, quod cum quidam ebrietatem alteri his verbis exprobrasset: non te ebrius tuus pudet? responderit ille, non te pudet ebrium reprehendere? Simili ratione intempestivum foret, & majori errori causam esset daturus, qui maledicum in ipso caloris impetu & praesentibus alijs vellet corrigere.

Nec vero solum praeceptum illud sufficit, sed pro plena discretione necessum est honesta aliquà fallaciâ uti, & reprehensionis amaritudinem cum laudis alicujus dulcedine miscere, aut etiam ostendere nos alios culpâre ob eosdem defectus, quibus is laborat, quem corrigere cupimus, aut verò nos ipsos arguamus, innuentes ejusdem erroris nos quoque esse reos. Et ut finiam tandem hanc disputationem, dico, ita corrigendum esse amicum, ut & grata sit ea correctio, & magis, magisque eum nobis obligatum reddat.






A D
Doctissimum Dn. Respondentem.

DE AMICITIA Disputantem.

Si non præ vulgo sapiat quid quisq; , viderur
Ipse sibi vegetos egisse in glorius annos.
Sunt ergo inventi, qui quod nix nigra, quod ignis
Frigidus, & tellus sit mobilis, astra quiescant,
Demonstrare suis voluere *οπισθεν*, & amplam
Ingenio famam laudemq; decusq; mereri.
Tu quoq; non temerè prodis, & prodis amata.
A multis, paucis exulta & cognita paucis
Quid sit amicitia, & multis quæsitus amicus,
Prime fere ex multis, modo sit quis amicus, amicis
Winsheimi: siquidem si quam inquisitio veri
Si quam promeruit famam defensio falsi
Splendida, tu certe laudem Conrade mereris
(Dicere si fas est) istis majorem, apud illos
Qui certò statuunt, opus hoc operosius esse
Si quis quod nusquam est, probat esse & dicere tentat.
Quid sit: quàm si quis, quod vere est tantum ait illud
Affectum esse aliter, quàm sensibus esse putatur
Namq; ego amicitiam, quæ nusquam est, credere nolo
Esse aliquid, nec amo, qui non est ullibi, amicum.
Tu tamen esse probas, & quid sit, differis. Esto
Ergo quod esse cupis: nec cui reputaberis unquam.
Turpiter hic molles egisse in glorius annos.


FEREMIAS NIGRINUS.

Festum




Festum MARTINI, praesens homines celebrare,
Dum fatagunt, illos Bacchus rapit, hosce Cupido
Et Cytherea: tibi mentem sedatior ille
Exercet Deus, atq; opera ad meliora remittit.
Ethica namq; subis defendere Praeside docto,
Burchardo, quem Phæbus amat, quæ laurus honorat.
Maeste novis ceptis! Et sic perducito cursum
In Juris studio; sic Justinianus honores
Et sua cum Junone Venus tibi premia firment,
Omne felici succedant talia cepta.
Atq; tuis studijs sic det Deus emolumentum.

Voveo
JOACHIMUS PANSOVIUS Sund.



Non satis est quid sit virtus novisse, sed ipsam
Exercere velit, qui Sophos esse velit.
Non & amicitiam satis est novisse, nec ipsam
Quid sit, quid non sit, dicere, sed colere.
Hic opus, hic labor est, hic vitæ meta beatæ,
Huc adamate tuum tendere frater erit
Idcirco fratri sis frater, amicus amico,
Sic verè nosces, quid sit amicitia.

JOHANNES ORTELIUS
Winshemius.





A D
Doctissimum Dn. Respon

DE AMICITIA DIT

Si non præ vulgo sapiat quid quisq;
 Ipse sibi vegetos egisse in glorius an
 Sunt ergo inventi, qui quod nix nigra
 Frigidus, & tellus sit mobilis, astra qu
 Demonstrare suis voluere *αφισμεσι*, &
 Ingenio famam laudemq; decusq; me
 Tu quoq; non temerè prodis, & pro
 A multis, paucis exculta & cognita p
 Quid sit amicitia, & multis quæsitus a
 Prime fere ex multis, modo sit quis am
 Winsheimi: siquidem si quam inquit
 Si quam promeruit famam defensio
 Splendida, tu certe laudem Conrade
 (Dicere si fas est) istis majorem, apud
 Qui certò statuunt, opus hoc operosi
 Si quis quod nusquam est, probat esse
 Quid sit: quàm si quis, quod vere est
 Affectum esse aliter, quàm sensibus e
 Namq; ego amicitiam, quæ nusquam
 Esse aliquid, nec amo, qui non est ulli
 Tu tamen esse probas, & quid sit, dist
 Ergo quod esse cupis: nec cui reputat
 Turpiter hic molles egisse in glorius an

FEREMIA

